

de ii, qui periculum ex variolis metuunt, eo tempore, quo illæ grassantur, corpora bene præparare debent. Quem in finem sequentem methodum commendamus.

1) In adultis & juvenibus sanguis, si copia peccat, vena incisa emittendus est.

2) Per aliquot dies ea, quæ primas vias leniter expurgant, porrigenda sunt, imprimis decocta ex manna, rhabarbaro, polypodio, agarico, fumaris & salibus neutris, vel etiam pilulæ ex extracto rhabarbari, fumaris & mercurio dulci.

3) His subungere oportet pulveres bezoardicos & diaphoreticos ex cerussa antimonii, cinnabari, lapidibus cancrorum, cum decoctis diaphoreticis, ex radicibus chinæ, sarsaparillæ & scorzonæ parandis. Potest etiam sudor moveri cum liquore nostro anodyno & liquore bezoardico invicem mixto, & loco potus ordinarii superius decoctum bibendum est. Horum remediorum usus si per aliquot septimanas continuatur, variolæ vel non infestant corpus, vel lenissime & ordinate succedunt.

Est etiam diætæ omniumque rerum naturalium habenda ratio, eaque sedulo observanda, quæcunque ad sanguinis benignam indolem custodiendam & excretionem promovendas conferunt,

F. H.

CASUS V.

DE

SPASMO HYPOCHONDRIACO EX MALE CURATA TERTIANA.

SIn Mann von sechs und dreßsig Jahren, hat vor einem Jahr ein dreßtägliches Fieber gehabt, welches mit china chinæ curiret worden, ist aber nach 10. Tagen wieder gekommen, und nach dem man solches auf eben solche Art wieder gestopffet, ist es 4. Wochen hernach wieder gekommen, und dieses ist fünf mahl geschehen. Bey diesem Fieber und nach demselben hat sich circa costas lypurias in der

rechten Weiche ein Schmerz, der sich auch nach der linken hinziehet, öftters eingefunden. Man hat gegen diesen Schmerz, weil er viel incommoditäten nach sich gezogen, viel antihypochondriaca, martialia & carminativa gebraucht, doch alles ohne einigen effect. Dabey hat sich eingefunden Herzklopfen, Engbrüstigkeit, Spannen über der Brust, Verstopfung des Leibes, und inclination zum Brechen. Wenn der Patient sich erzürnet, wird es ihm gleich schlimmer, bekömmt Hitze, Schwindel, Schweißigkeit des Haupts, Verdunklung der Augen, sonderlich des rechten, als wenn es mit einem dicken Nebel umgeben wäre, es schweben auch öftters viel maculæ vor selbigen. Der Urin ist meist klar und ohne præcipation, und findet sich dabey öftters eine Schlaflosigkeit und ein Bluten aus der rechten Nasen ein. Diese symptomata nehmen alle zu, und werden heftiger, wenn der Schmerz sich vermehret. Dieser hebet an in der rechten Seite, ziehet sich in die Lenden und Rückgrad, und dencht ihn, als wenn die Lenden darvon aufgeblasen und steiff würden. Bey welcher Aufbläsung sich meist eine Kältung der Glieder, nebst häufigen Blehungen findet, welche wenn sie weggehen, so leget sich das malum, die symptomata werden gelinder, und alsdenn setzet sich auch der Urin. Er spühret auch eine grosse Trägheit in Füßen, der Speichel ist schleimig und versalzen.

Epicrisis.

Videntur nobis graviora illa, quibus æger exercetur, symptomata haud aliunde suam traxisse originem, quam ab in-tempestitiva febris cohibitione per adstringentia, in quibus cortex chinæ principem fere locum obtinet. Quemadmodum enim specifica, ut vocant, antifebrilia, inter quæ hic cortex maxime eminent, convenienti ordine ac tempore usurpata salutari effectum non destituta sunt: ita, si empirice, id est, nulla habita ratione subjecti, temporis & causæ febrilis, exhibeantur, in maximam corpus perniciem præcipitare possunt, quotidiana id confirmante experientia. Nam quum ejusmodi specifica antifebrilia non nisi partium fibrosarum & nervearum constrictione suam operationem perficiant, facile liquet, nullum iis locum esse tribuendum, ubi febrili motu impuri humores nondum satis secreti

atque evacuati, nec vasorum obstructions referatæ sunt, & quando corpus vehementia spasmodum, qui omnes excretiones interceptiunt, adhuc affligitur. Ita nimirum videmus circa tempus paroxysmi minus convenire, imo nocentissima esse hæc remedia, quoniam tunc temporis totum nervorum & vasorum systema spasmo quasi universali afficitur. Ex quo etiam apparet, hæc ipsa non præscribenda esse, urina adhuc cruda, & sine sedimento prodeunte, & quando transpiratio die etiam vacuo nondum liberior, aut alvus liquidior evadit. Imo licet quoque hinc perspicere, quantum damni inferant hæc remedia, si ante exhibeantur, quam fordes primarum viarum expurgatæ fuerint salibus potissimum aperitivis aliisque, quæ evacuationibus per alvum & transpirationem velificantur.

Hisce autem præmissis utilissimus fane illorum usus est, dum febriles istos inanes motus, nulla insequente recidiva, nullisque supervenientibus spasticis symptomatibus, funditus atque ex toto tollunt, & a molestis illis insultibus, quorum diuturnitas & viribus & corporis nutritioni valde adversatur, homines egregie liberant. Quamobrem si ullo in morbo, certe in intermittenti-um curatione medici judicium & prudentia practica, quæ anima curationis est, clarissime manifestatur: siquidem hæc febres convenienti modo facile sanari, perversa autem medicatione ad exitum funestum converti possunt.

Quod partem affectam præsentem in morbo attinet, est ea maxime intestinum colon, cujus tonus, robur, & ut veteres loqui amabant, vis retentrix & expultrix imprudenti adstringentium usu valde destructa sunt, unde vel ejus nimix a flatibus distensiones, vel vehementiores spasticæ constrictiones fiunt, a quibus plura symptomata, nimirum inæqualis sanguinis transitus, nimix humorum ad partes alias congestiones, molesti dolores ac denique suppressiones excretionum producuntur. Patitur enim in malo hypochondriaco maxime hoc intestinum, quia valde nervosum, amplum, & ligamentis nerveo-tendinosi cinctum est, & utraque hypochondria occupat, ac supra umbilicum infra stomachum fertur, hinc ejus læsiones sæpius hepar, lienem, vel ventriculum affectum mentiuntur. Et quoniam hoc intestinum præ
reli-

reliquis majoribus vasis instructum est, ideo ejus tono ac motu peristaltico destructo vel periculosa ibi sunt sanguinis stagnationes, vel perversa humorum ad alias partes translationes. Ad hoc igitur intestinum male affectum omnia referenda sunt symptomata, quibus ægrotus noster affligitur, nimirum asthma, palpitatio cordis, spasmus præcordiorum, torpor capitis, oculorum hebetudo cum catarracta spuria, sanguinis e nare dextro stillicidium, nimia vigilia, dolor lumborum gravativus, urina tenuis & aquosa, languor artuum ac denique frequens ad vomitum inclinatio.

Totius igitur curationis cardo in eo vertitur, ut destructio toni ab imprudenti medicatione & præpostero adstringentium usu huic potissimum intestino inducta emendetur, ipsique pariter ac reliquis pristina vis, tonus ac motus restituantur. Quo peracto ceterorum symptomatum impetus ac vehementia sponte concidit & exspirat. Dedimus hoc effectum in præsentî ægro sequenti ratione:

1) Sub alvi duritie frequenter injiciendum curavimus decoctum ex floribus chamomillæ, summitatibus millefolii, baccis juniperi, semine anisi & oleo amygdalarum dulcium, pauxillo adjuncto salis communis & nitri, cum aqua simplici paratum, cujus vim ante injectionem triginta vel quadraginta guttis balsami nostri vitæ roboravimus. Nihil enim præstantius est ad tonum intestinorum reparandum, bene præparato clystere, quoniam immediate partem affectam attingit, inque eam vim ac efficaciam suam exercere potest. Quemadmodum vero clysteres fortiter purgantes ac stimulantés, vel ex meris emollientibus parati, ejusmodi in casibus parum utilitatis afferunt; ita eos, qui partes nerveas blande roborant, flatu discutunt, & spasmo rigentes fibras emolliunt, præstantissimam hic opem ferre deprehendimus.

2) Imperavimus pediluvium, ante lecti introitum quotidie usurpandum, cujus usus in omnibus affectibus spasmodicis & sanguinis turbulentis motibus & congestionibus vix satis laudari potest. Hæc tamen adhibenda est observatio, ut pedes in aquam non valde calidam, sed tepidam, sale communi & herbis nervinis imprægnatam, satis profunde & quidem per horæ dimidium immittantur.

3) In-

3) Interne commendavimus pilulas nostras balsamicas, bis in septimana circa noctem assumendas. Altero mane dosis salis nostri aperitivi usurpata fuit, cum subjuncto usu alicujus infusi, quod hisce speciebus constabat: Recipe summitatum millefolii, florum chamomillæ vulgaris, ana pugillos sex, anisi stellati, corticum aurantium recenter exsiccatum, corticis ligni sassafras, ana drachmas tres, misce, fiant species, de quo octo patellæ sumtæ fuerunt, insuper lenem diaphoresin expectando.

4) Exhibitus est pulvis, una hora ante prandium usurpandus: Recipe radicis pimpinellæ drachmam unam, radicis ari, salis absinthii, lapidum cancrorum, corticum aurantium recenter exsiccatum, ana scrupulos duos, olei cinnamomi, macis, ana guttas sex, misce, fiat pulvis, cui interdum urgente interno præcordiorum ardore aliquot nitri grana adjecta fuerunt. Loco hujus pulveris Essentia corticum aurantium balsamica nostræ præparationis mixta cum liquore nostro minerali anodyno ultimo haustu inter cibos sumta, ad juvandam digestionem & blandam chyli spiritualentiam promovendam, egregie profuit.

5) Injuncta fuit ægrotanti equitatio, vectio in curru & accuratum in diætâ regimen. Quibus remediis per duos integros menses usurpatis æger plenissime convaluit.

Cæterum notandum est, quod in ejusmodi affectibus hypochondriorum spasmodicis, a perversa adstringentium & opiatorum exhibitione subortis, aliis præfidiis nihil juvantibus, unice & velut ad sacram anchoram refugiendum sit ad decentem internum usum thermarum Carolinarum atque externum Tæplicensium, subjuncto per aliquod tempus exactiori vitæ regimine. His enim, teste experientia, magna vis inest destructum ventriculi & intestinorum tonum reparandi, viscerum & emuntoriorum obstructions resolvendi omnisque generis excretiones adjuvandi. Balneo autem aquæ Tæplicensis, levissimæ & valde subtilis, nihil in relaxandis fibrarum constrictionibus, partiumque tubulis ampliandis datur excellentius. Præstant etiam hoc ejusmodi balnea, ut sanguinis & humorum motus ab internis partibus ad externas & habitum corporis reducendo liberum & æquabilem sanguinis circuitum, quo sanitas potissimum continetur, corpori restituant.

F.H.

C.A.